Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38332
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

CVI· CENTESIMUS SEXTUS PSALMUS OMNEM CAUSAM conditionis humane quam uel derelinquendo sumpsit uel ad paenitendo suscepit· siue multitudinem miserationum dei· et in praesenti ait· quis sapiens et custodit haec et intellegit misericordias domini· narrare dinoscitur· sed et repulsione iudaeorum· ET UOCATIONE GENTIUM EUIDENTISSIME PANDIT·

Confitemini domino quoniam bonus quoniam in saeculum misericordia eius; Ideo confitemini ei peccata uestra· quia bonus est· et peccata dimittit; sicut bonus non est· et uob diceret· Confitemini et confitemini ei· quoniam in saeculum misericordia eius; hic est misericordia ceterum super iustitia est· quoniam in saecula misericordia eius· quamdiu estis in saeculum confitemini; Dicant qui redempti sunt in domini passione; Dicant qui redempti sunt a domino quos redimit eos de manu inimici· Propriae deuotione gentium loquitur· Iste psalmus hoc habet sacramentum: qui redempti sunt in domini passione· Dicant qui redempti sunt· Ipse est enim saluator et redemptor et praetium· Dicant qui redempti sunt· Ipse redemit· ipse dedit praetium sanguinem suum· Quare autem dedit praetium sanguinem suum· Ut redemeret nos de manu inimici· Captiui enim tenebamur in manu diaboli· Propterea autem ille uenit ut redemeret nos· et liberaret de diaboli manu· Quos redemit de manu inimici·

Ut destruas inimicum et defensorem· quos redemit de manu inimici; Inimicus homo superseminauit zizania; Inimicus autem· diabulus est· quos redemit de manu inimici· Inimicus est et ipse possessor· Propterea manu sua non tenet· non quia diligit· sed quia oderit· quos redimit de manu inimici; Grandis maiestas et grandis potentia; sanguinis domini qui soluit manum diabuli· Quomodo enim sunt aliqua animalia et stringunt aliquid intra se inclusum· hoc dicunt et medici et fisici ut nisi fractum fuerit a se· non uidetur nec dimittit illud quod intrinsecus clausum tenet; sicut missum fuerit oleum· statim desoluitur; et quod scriptum fuerat dissipatur et uidetur in partes· sic et manum durissimam diaboli soluit sanguis christi· nolebat nos dimittere; sanguinem suum fudit dominus quasi oleum misericordiae· et per ipsum nos liberauit; De regionibus congregauit eos; Uide quam grandis sit manus diaboli· quos redimit de manu inimici; hos autem quos redemit de manu inimici· In cunctis regionibus tenebantur in manu inimici·

De regionibus congregauit eos· In toto orbe manus ... diaboli possidebat nos;

A solis ortu et occasu· ab aquilone et mari; Uidetur quidem quattuor dixisse climata· oriuentem· occidentem· et meridiem· et boriam· hoc est· quattuor climata mundi· sed non ita psalmus continet· hic enim habet· a solis ortu et occasu· Ecce duo climata ab aquilone· hoc est· a septentrione· Ecce tria climata et mari· mari utique; in occidente est· Ergo uidete quoniam occidentem bis nominabitur· et meridiem nec semel· Quare igitur tria climata nominauit· et unum noluit nuncupare·